

sanctitatem, qua vicit ex omni parte peccatum a conceptione sua, et ex tunc fomitem, seu inclinationem appetitus habuit ligatum; totaliter autem extinctum, ac sublatum quando Christum concepit. Ligari autem dicitur fomes, quando sola extrinseca Dei protectione ne erumpat in aliquem inordinatum motum, detinetur; extinguere quando per intrinsecam subjectionem, appetitus sensitivus manet rationi subiectus, sicut in statu innocentiae. Hoc secundum contulit carni Virginis caro Christi quando est concepta, in qua primo resplenduit hoc donum: primum, vero habuit etiam ab initio. Et de hoc agit quæstione xxvii.

Ex parte vero corporis fuit disposita tripliciter. Primo, absolute, in se, et in ordine ad Deum per immaculatissimam virginitatem etiam voto firmatam, et in partu, et post partum illæsam, de quo agit quæstione xxviii. Secundo, in ordine ad homines per desponsationem accipiendi conjugem Joseph, et de hoc agit quæstione xxix. Tertio, in ordine ad Angelos in annuntiatione, quæ sibi per Angelum facta est, ut in maternitatem Dei consentiret. Et de hoc agit quæstione xxx.

Post considerationem de Matre, agit de prole concepta, ejusque conceptione. Circa quam quatuor considerat. Primo, materiam, seu materiale principium, ex quo assumpta, et formata est illa caro, tam remotam prout fuit in progenitoribus secundum materiæ originem, etsi non secundum seminalem rationem, quam proximam, quæ fuit ex purissimo sanguine Virginis, non ex semine. Et de hac materia agit quæstione xxxi. Secundo, considerat principium activum hujus conceptionis, quod fuit virtus Spiritus Sancti immediate operans, Virginem obumbrans, et supplens virtutem seminis, non similitudinem

sui generans, ideoque nec fuit pater Christi, et de hoc agit quæstione xxxii. Tertio, considerat modum conceptionis, quod scilicet facta organizatio in instanti, utpote ab infinita virtute Spiritus Sancti. Et de hoc agit quæstione xxxiii. Quarto, considerat perfectionem prolis conceptæ, quia in illo instanti fuit anima unita Verbo, habuitque plenitudinem gratiæ, et gloriæ, et meritum, seu actum liberi arbitrii. Et de hoc agit quæstione xxxiv.

Post conceptionem Christi sequitur ejus nativitas, de qua duo considerat. Primo, eam in se, et secundum circumstantias loci, et temporis, et quomodo conveniat personæ ratione naturæ. Et de hoc agit quæstione xxxv. Secundo, considerat ejus manifestationem, tum pastoribus, tum magis, et quo ordine, et ratione facta fuerit, et hoc quæstione xxxvi.

Post nativitatem sequitur circumcisio, et alia legalia observata circa puerum, ut purificatio Matris, et oblatio in templo, de quibus agit quæstione xxxvii. Ultimo, agit de baptismo Christi, quia ibiter minavit ingressum suum in mundo, e exinde cœpit progressus ejus in manifestando se mundo. Fuit autem necesse præmittere baptismum Joannis, tum ut in ipso baptizaretur Christus, tum ut homines assuescerent baptismo a Christo instituendo, et ad pœnitentiam disponerentur. Et ideo prius agit de baptismo Joannis tamquam de quodam præparatorio quæstione xxxviii. De baptismo autem Christi, ejusque circumstantiis, et testimoniis quibus declaratus est Filius Dei, agit quæstione xxxix.

Secundo, loco agit D. Thomas de progressu Christi in hac vita. Et primo, agit in communi de modo conversationis ejus non eligendo vitam austeram, et solitariam, sed

cum hominibus communicativam, valde tamen virtuosam, et regulatam ad se, ut sic aliis prodesset, de quo agit quæstione xl. Deinde vero considerat in speciali ejus actiones, quibus nos informavit, et reformavit. Istæ autem actiones, aliæ fuerunt circa diabolum vincendo ipsum in tentatione, aliæ circa homines instruendo ipsos in doctrina, quam tradidit, etsi non scripsit. Aliæ fuerunt circa alias creaturas circa quas miracula exercuit, ut instrumentum divini Verbi ad ostensionem suæ divinitatis, et confirmationem fidei. De primo genere actionum scilicet de tentatione Christi, agit quæstione xli. De secunda, scilicet de doctrina ejus quæstione xlii. De tertio, scilicet de miraculis agit per tres quæstiones. Primo, in genere de miraculis Christi, et qua virtute, et tempore ea fecerit, et quam sufficienter per ea divinitatem ostenderit, et hoc quæstione xliii. Secundo, in speciali de singulis generibus miraculorum, quæ sunt quatuor, scilicet circa spirituales substantias expellendo dæmones imperio; circa cœlestia corpora tempore passionis circa homines sanando, illuminando, resuscitando; circa irracionales creaturas, ut multiplicando panem, convertendo aquam in vinum, etc. et de his agit quæstione xlii. Tertio, in singulari agit de miraculo, quod fecit circa se in transfiguratione ostendendo gloriam suam, et de hoc agit quæstione xlv.

Tertio loco considerat D. Thomas egressum Christi ex hoc modo per passionem et mortem. Ubi tria meditatatur D. Thomas. Primo, passionem, quæ causavit egressum de mundo. Secundo, mortem in qua consummata est. Tertio, consecuta post mortem, scilicet in corpore sepulturam, in anima descensum ad inferos.

Circa passionem quatuor præcipua veniunt meditanda. Primum est passio ipsa secundum se, tum quoad convenientiam propter nostram salutem, et Dei clarificationem, tum quoad speciem passionis, scilicet in cruce, tum quoad acerbiteriam doloris, et ignominiae, quæ omnibus pensatis omnem passionem hujus vitæ excessit. De hoc agit quæstione xlvi. Secundum est causa passionis, ex parte quidem Dei summa benignitate præordinando illam, inspirando Christo voluntatem patiendi, et non protegendo eum a persecutoribus. Ex parte vero hominum summa crudelitate illum persequentium, et tractantium, tum principes, tum plebs, tum gentiles, et de hoc agit quæstione xlvii. Tertium est effectus passionis quoad modum operandi illos, tum merendo, tum satisfaciendo, tum redimendo, tum physice, seu efficienter operando salutem nostram, ut instrumentum Verbo conjunctum, et de hoc quæstione xlviii. Quartum est, res ipsæ quas operatus est per passionem, scilicet in ordine ad nos redimendo a peccato, et reconciliando nos Deo, in ordine ad se merendo supremam exaltationem nominis sui, et de hoc quæstione xlix.

Post passionem, meditatatur D. Thomas terminum, et consummationem ejus, scilicet mortem, in qua fuit vera separatio animæ a corpore, et si non utriusque a Verbo, ratione cujus mansit corpus idem numero, ac vivum, identitate suppositi.

Tertio loco considerat consecuta post mortem, quæ fuerunt duo scilicet circa corpus, sepultura, de qua agit quæstione li. Circa animam vero descensus ad inferos, et quos effectus ibi fecerit, et in quem locum descenderit, et de hoc agit quæstione lii.

Post egressum Christi ex hoc

mundo, restat agere de regressu ejus supra mundum, et gloria qua coronatus est. Est autem Christus exaltatus tripliciter. Primo, per gloriam resurrectionis, et immortalitatis in se. Secundo, per ascensionem quoad decentiam loci. Tertio, per sessionem ad dexteram Dei per summam dignitatem.

Circa primum, exaltationem, quæ est resurrectio, meditatatur D. Thomas quatuor. Primo, ipsam resurrectionem quantum ad convenientiam, tempus, et causam a qua facta est, et hoc quæstione LIII. Secundo, considerat qualitatem corporis resurgentis scilicet quod fuerit verum, integrum, gloriosum, cum cicatricibus, etc. et hoc quæstione LIV. Tertio, manifestationem resurrectionis, quod sufficientibus argumentis manifestata est non omnibus, sed testibus a Deo præordinatis, et hoc quæstione LV. Quarto, considerat efficaciam, et causalitatem resurrectionis Christi, tum in animas: *Quia resurrexit propter justificationem nostram*, tum in corpora: *Quia suscitabit corpora configurando corpori claritatis suæ*, et de hoc agit quæstione LVI.

Secunda Christi exaltatio fuit per ascensionem, quam corporaliter secundum humanam naturam (in qua solum potuit ascendere) exaltatus est super omnes cælos, et super omnem creaturam, et eam ejusque effectus quoad nos aperiendo nobis viam in cælum, et largiendo dona hominibus, considerat quæstione LVII.

Tertia exaltatio fuit in dignitate, et potestate summa. In dignitate quidem, quia sedet ad dexteram Patris, secundum divinam quidem Personam in omnimoda æqualitate, secundum humanam autem naturam sedet ad dexteram, id est, in supremis bonis Dei constituitur, et de hac sessione agit quæstione LVIII.

In potestate autem suprema constitutus est iudex vivorum, et mortuorum, et *Pater omne iudicium dedit Filio*, per æternam quidem generationem dedit ei potestatem essentialiter summam, per incarnationem autem dedit ei in humana natura summam participative; quæ tanta est ut ad omnes homines, et Angelos se extendat, qui ei ut homini ministrant, et ab ipso saltem accidentaliter præmia habere possunt, et de hoc agit quæstione LIX.

SACRAMENTA ECCLESIE.

Post explicatam incarnationem Verbi divini, incipit ab hac quæstione agere de mediis, quæ nobis reliquit ad communicandam efficaciam sanguinis. Et sunt Sacramenta, de quibus primo considerat in communi. Deinde, de unoquoque in speciali. In communi considerat quinque. Primo, quidditatem Sacramenti. Secundo, necessitatem, quæ quia diversa fuit juxta diversos status, non potuit tractari ante cognitam quidditatem Sacramenti, quæ ex genere suo est una. Tertio, considerat effectus. Quarto, causam. Quinto, numerum.

Circa primum, agit de quidditate Sacramenti ostendens genus ipsius quod est in genere signi, sicut acceptum, et definitum est ab his, qui in Ecclesia tradiderunt rationem Sacramenti: Quod est signum rei sacræ, etc. Et sic genus ejus est signum. Differentia autem ejus dicitur, quod sit rei sacræ, quod intelligitur non rei sacræ, ut in se sacræ est, sed ut nobis sacræ, qui ulimur illo signo, id est, ut sacrans nos. Et sic debet esse practice, seu active sacrans, sed ly practice et active non debet sumi active in genere, et linea causæ, sic enim extraheretur illa differentia a suo genere, quod est si-

gnum, sed intra lineam signi debet intelligi de signo pratico, ut practice significante, licet rationem causæ induere possit, sed ut adjectam, et alterius lineæ, non ut constituentem rationem Sacramenti. Quia autem est signum respectu hominis, qui sensibilibus ducitur, debet esse sensibile, tum ex parte materiæ, quæ assumitur, tum ex parte formæ qua significatio determinatur, scilicet per verba, et de hoc agit quæstione LX.

Circa secundum, ostendit necessitatem horum Sacramentorum, quæ orta est post peccatum, cum sint medicinæ, et significativæ gratiæ redemptivæ per Christum. Unde sicut in omni statu post peccatum fuit necessaria gratia redemptiva, ita et Sacramenta, quæ sunt symbola protestativa illius gratiæ, et applicativa, licet imperfectiora ante evangelium, quam post, minusque efficacia. Ante peccatum autem homo, licet per sensibilia acciperet cognitionem, non tamen gratiam, sed eam ex sua generatione habebat a Deo acceptam, nec medicinaliter sibi dabatur, et sic nec sacramentaliter. Et de hoc agit quæstione LXI.

Circa tertium, duplicem effectum considerat. Unum communem omnibus Sacramentis, scilicet dare gratiam, alterum specialem quibusdam, scilicet imprimere characterem. De primo, agit in hac quæstione tractatque tum rem causatam quæ est gratia non solum communiter dictam, sed ut sacramentalis, id est, ut speciali modo medicinalis peccati, et curativa ex auxilio Dei, et participatione redemptionis Christi in vita christiana; tum etiam modum causandi hanc gratiam, quæ ex genere Sacramenti solum est in ratione signi practici, ad quod sufficit significare gratiam in sui exhibitione, et præsentia collatam, etsi non a se, et sic fuerunt Sacramenta

antiqua. Sacramenta autem evangelica propter efficaciam operati significant gratiam non solum, ut in sui exhibitione dandam, sed ut a se in quantum instrumenta, symbola passionis Christi perfecta; passio autem Christi fuit medicinalis, ut instrumento Verbo conjuncto physice, et ita instrumenta separata cum etiam efficaciam participant passionis Christi, quia perfecta instrumenta sunt, participant dare gratiam causando in linea instrumenti, licet in linea sui generis, scilicet Sacramenti significant illam ut dandam a se. Et de hoc agit quæstione LXII.

Alius effectus est character, qui non ab omnibus Sacramentis datur, sed ab illis quæ specialiter constituunt homines ministros Christi, et participes sacerdotii ejus ad valde recipiendum, vel dandum aliqua Sacramenta, et exercenda ea quæ sunt cultus Dei in virtute Christi, quantumvis in genere moris ea male ministrent, aut recipiant, sed in vi characteris valide. Et ideo imprimatur aliquod signaculum spirituale quo conformantur sacerdotio Christi ut ministri ejus, ideoque non pertinet hoc signaculum ad essentiam animæ, quia non ordinatur ad elevandum in esse, sicut gratia, sed ad deputandum in ministrando, et sic pertinet ad potentiam ministrativam eorum quæ sunt cultus christiani, ut vere et valde fiant, et sic est in intellectu: non tamquam habitus, qui sunt reificantes potentias et constituunt causam modo principali agentem, sed per modum ministerialis, et participatæ potentiæ non ad bene, vel male, sed ad valide faciendum, vel recipiendum quæ sunt cultus christiani. Imprimatur autem hoc signaculum in triplici Sacramento baptismi, confirmationis, et ordinis, quia hæc speciales deputant ministros; baptismus ad

valide recipiendo alia Sacramenta, et ea quæ sunt fidelium; confirmatio ad valide protestandum, et defendendum; ordo ad valide ordinandum, et tradendum Sacramenta. Et de hoc agit quæstione LXIII.

Circa quartum, considerat div. Thomas causam Sacramentorum, tum principalem instituentem, et operantem, qui est Deus, et excellentissimo modo humanitas Christi ejus instrumentum; tum proxime ministrantem, qui sunt homines ministri Christi quæstione LXIV.

Circa quintum, colligit numerum Sacramentorum quæ sunt septem, eaque comparat inter se quoad excellentiam, et necessitatem, et ministerium quæstione LXV. Ubi pulchre juxta modum, qui in vita naturali invenitur quoad generationem rei, probationem, nutritionem, sanationem a morbis, et convalescentiam, multiplicationem, et gubernationem, communitatis, septem coordinat Sacramenta, ut gubernationi correspondeat baptismus, roborationi confirmatio, nutritioni eucharistia, sanationi pœnitentia, convalescentiæ a reliquiis pravis extrema unctio, multiplicationi matrimonium, gubernationi ordo.

BAPTISMUS.

Circa hoc Sacramentum duo generalia capita considerat. Primo, ipsum Sacramentum in se. Secundo, præparatoria ad ipsum. Circa ipsum Sacramentum quatuor tractat ordine suo. Primo, naturam ejus. Secundo, ministerium. Tertio, subjectum. Quarto, effectum. Natura baptismi sumitur ex ejus materia, et forma, quod scilicet sit ablutio ex aqua simplici, et naturali cum debita forma, quæ est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et hoc ex-

plicat quæstione LXVI. Minister baptismi ex officio, et solemnitate est presbyter, vel episcopus; ex necessitate etiam alii inferiores, imo quilibet homo, qui producat formam, et abluat secundum rectam intentionem Ecclesiæ. Et de hoc agit quæstione LXVII. Subjectum est omnis homo natus in mundum, omnibus enim necessarius est baptismus, debet autem esse natus, ut possit renasci, aut totaliter, aut quantum ad principalem partem aliquam extra uterum. Dispositio autem subjecti in adultis quidem est voluntas baptismi, et saltem aliqua attritio, non confessio; in parvulis voluntas parentum, aut tutorum, contra quam non licet. Et de hoc agit quæstione LXVIII. Effectus baptismi est tum remissio culpæ, tum remissio totius pœnæ, tum infusio gratiæ, et virtutum. Quod si fictus quis accedat, remoto obice per pœnitentiam in quantum obex, habet effectus regenerationis, ut regenerationis virtute suscepti baptismi. Et de hoc agit quæstione LXIX.

Circa præparatoria ad Sacramentum baptismi, considerat duo. Primum, id quod in lege veteri præparavit per modum figuræ ad baptismum, scilicet circumcisio, et de ejus ritu, et effectu scilicet, quomodo tollebat peccatum etiam in parvulis in fide Christi protestata in illo signo, ad ejus præsentiam, sed non ad ejus efficientiam, de hoc agit quæstione LXX. Secundum est, id quod in susceptione nostri baptismi, ut præparatorium se habet per modum cæremoniæ, ut exorcismus, et catechismus, de quo agit quæstione LXXI.

CONFIRMATIO.

Unica quæstione comprehendit omnia quæ ad hoc Sacramentum

spectant, scilicet naturam ejus quoad materiam quæ est unctio chrismatibus confecta ex oleo, et balsamo benedictis ab episcopo, et quoad formam, quæ est Signo te, signo crucis, etc. Et secundo, ministerium ejus, qui ordinarie est episcopus, ex commissione autem Papæ etiam presbyter, et tertio, effectum ejus, scilicet characterem, et gratiam roborantem, et quarto, subjectum susceptivum, scilicet omnes baptizati, et in parte determinata corporis, scilicet in fronte, ne erubescant profiteri fidem. Et de hoc agit quæstione LXXII.

EUCCHARISTIA.

Amplissimam hujus Sacramenti materiam septem considerationibus distribuit S. Thomas per undecim quæstiones, tali ordine. Primo, considerat hoc Sacramentum quoad an est, disputans de ejus necessitate, institutione, et figuris, quæ præcesserunt illud. Secundo, de ejus materia tam remota, quæ est panis et vinum, quam proxima, quæ sunt species consecratæ continentis Christum, et sic necesse fuit tradere, et explicare hanc conversionem. Tertio, de ejus forma. Quarto, de effectibus. Quinto, de suscipientibus, et ejus usu. Sexto, de ministro. Septimo, de ritu, et modo sacrificii.

Circa primum, supposito quod eucharistia est Sacramentum continens sub speciebus panis et vini, corpus et sanguinem Christi, et gratiam cibantem significans, discurrit D. Thomas circa unitatem hujus Sacramenti, tam specificam quæ est per modum convivii, quod integratur ex pluribus rerum speciebus ad refectionem ordinatis, quam numericam, qualis in qualibet sumptione invenitur, seu in Sacramento,

ut ordinato ad unicam sumptionem quando actu sumitur, vel ex ipsa plurificatione materiali, et physica hostiarum, quando actu non sumitur. De ipsa quoque necessitate hujus Sacramenti agit, quod non est necessarium necessitate medii quantum ad suam actualem sumptionem, sicut baptismus, qui regenerativus est, et sic ratione ipsius effectiois, et receptionis necessarius. Eucharistia autem cibativa est, et nutritiva, et sic ejus sumptio supponit vitam, non dat. Est tamen necessaria necessitate medii ejus finalizatio respectu aliorum Sacramentorum, id est, quod alia omnia ordinentur ad ipsum ut consummativum cæterorum, quatenus proprius ejus effectus est unire nos Christo, sine cujus unione non habemus vitam: *Qui manducat meam carnem in me manet, et ego in eo.* Item: *Unum corpus multi sumus, qui de uno pane, et calice participamus.* Et licet in aliis Sacramentis detur ista unitas, est tamen in ordine ad eucharistiam, cui proprie attribuitur, et ratione hujus ordinis, qui sumit alia Sacramenta dicitur in voto sumere eucharistiam, non in voto, id est, in desiderio expresso, sed in aliquo, quod de se ordinatur ad eucharistiam, ut ad finem. De his ergo agit quæstione LXXIII.

Circa secundum, agit de materia hujus Sacramenti per quatuor quæstiones. Et primo, explicat materiam remotam, quæ est panis triticeus, et vinum de vite, cui modica aqua admiscenda est, etsi non sit de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto, et de hoc agit quæstione LXXIV. Deinde, explicat materiam proximam, quæ sunt species consecratæ continentis corpus Christi per transubstantiationem panis et vini ibi positum. Ad quod necesse est primo explicare ipsam conversionem panis in corpus, deinde quæ eon